

currente necessitate aut utilitate Ecclesiae, minores et Subdiaconatum conferre, et ita docent *Vasquez* in tertiam partem tom. 5. disc. 246. cap. 5. n. 47.; *Castropal.* de sacrament. ordinis tract. 27. disp. unica punct. 13. n. 5.; *Fermosin.* in cap. 1. num. 10. et seq. de temporibus ordinationum; latissime *Diana* in opere coordinato tom. 2. tract. 5. resol. 97.; *Giribald.* de sacram. tract. 9. cap. 3. dub. 4. num. 47.; *La Croix* lib. 6. par. 2. sub num. 2295.

9. At alii sustinent, sic ordinatum remanere suspensum in sequelam textus supra citati *Campanil.* divers. juris canonici rubrica 6. cap. 3. num. 15. in fine; *Bonacina* de suspens. in particulari disput. 3. quaest. 1. punct. 4. §. 1. num. 2. versic. „si vero suscipiat“, et sub num. 5.; *Thesaurus* de poenis Ecclesiae par. 2. in verbo „ordo“ cap. 15. §. 2. „recipiens“; *Alterius* de censuris tom. 2. disp. 10. cap. 4. fol. 176. §. „dico“ et fol. 177. §. „remanet“; *Pauluccius* juris prud. sacra tom. 2. lib. 5. tract. 7. cap. 7. num. 6. §. „minores“; *Pax Jordan.* tom. 1. lib. 3. tit. 6. num. 339., et in eo, quod attinet ad rationem supra perpensam, dicunt, eam non prodesse, tum quia delictum ordinati in casu text. in cap. 2. „de eo, qui furtive“, residet in hoc, quod una eademque die recepit minores ordines et Subdiaconatum, et receptio plurium ordinum insimul intelligitur prohibita, nisi appareat permissa, uti adnotarunt in citato cap. *Brutius Hostiensis* et *Joannes Andreas* num. 2., tum quia si prohibitum est eadem die duos ordines conferre, et Episcopus dispensare non potest, ejus scientia et patientia et ejus expressus consensus ad rem, de qua agitur, facere non possunt, uti late prosequitur *Marian. Soccin.* in allegato cap. 2. n. 5.

10. Quinimmo licet in saepe citato

textu nulla poena imponatur ordinanti, suspensio nihilominus ab ordinum sic collatorum collatione applicabilis esse videtur; intantum etenim in dicto textu praedicta poena non imponitur, in quantum clericus ille praeter Episcopi notitiam se immiscuit inter Acolythos, qui debebant ad Subdiaconatum promoveri, sed si Episcopus id scivisset, graviori utique poena affectus fuisset, quam ordinatus, uti adnotarunt in eodem textu *Zabarella* in principio, *Joannes Andreas* num. 1., *Butrius* num. 1., *Hostiensis* num. 2., *Soccin.* num. 4. et pluribus seqq., quocirca si ordinans, qui scivisset, gravius punitus fuisset, quam ordinatus, hinc est, quod si ordinatus remanet suspensus, ordinans quoque ad minus suspensionis poena debet affectus remanere, exemplo ejus, qui duos ordines sacros eadem die confert, si etenim id faciat ignoranter, excusatur, juxta textum in cap. „innotuit“ et ibi *Ancharan.* n. 2. „de eo, qui furtive“; sed si scienter id faciat, gravius punitur, quam ordinatus juxta optimam Glossam in cap. „litteras“ in verbo „deliquit de temporibus ordinationum“ et in terminis ejus, qui minorem aliquem ordinem unacum majori contulerit per ignaviam aut incogitantiam, quod remaneat suspensus ab ordinum collatione, docent *Majol.* de irregular. lib. 3. cap. 24. num. 13., *Pax Jordan.* tom. 1. lib. 3. tit. 6. n. 430.

11. De hac controversia bis actum dicitur in hac sacra Congregatione, in *Ravellen.* videlicet die 12. Novembris 1650, in qua sacra Congregatio indulsisse dicitur dispensationem ad cauthelam ordinato in minoribus ordinibus et Subdiaconatu eadem die, cum in susceptis ministrasset, teste *Pignatell.* consult. 319. tom. 1., sed haec resolutio in regestis non reperitur; vera et celebrior fuit disputatio in *Boven.* ordinationis 29. Januarii 1707,

quae causa pluries fuit proposita et tandem resoluta die 7. Maii ejusdem anni, uti habetur in regestis lib. 57. fol. 23. a tergo et fol. 156. In dicta causa agebatur de collatione duorum minorum ordinum unacum Subdiaconatu et praetendebatur ordinatos, qui in susceptis propter reverentiam non ministraverant, non esse suspensos, ex quo furtive non se immiscuerant ordinationi, nec ullam suspensionem fuisse incursum ab ordinante, cum poena sibi vindicet locum in collatione duorum majorum ordinum et non in collatione minorum cum Subdiaconatu; proposito dubio: „An et quomodo esset danda absolutio in casu?“ Responsum fuit: „Quoad ordinatos dandam esse absolutionem praevia salutari poenitentia arbitrio Episcopi vicinioris; et quoad ordinantem rescriptum fuit: ad mentem, quae explicata fuit per epistolam ad ordinantem scriptam, in qua, postquam sacra Congregatio eum acriter arguit, asserendo eum plus deliquisse quam ordinatos, cum ordines scienter contulisset, omnem poenam pro ea vice benigne remisit, dummodo in posterum a similibus abstineret.“

12. Haec sunt, quae recipiunt collationem minorum ordinum et Subdiaconatus in terminis juris communis; quocirca solum superest examen hujus ejusdem quaestionis in casu, in quo vigeat consuetudo.

13. De hac ergo consuetudine loquendo nonnulli putant, eam non esse attendendam, utpote per Tridentinum sublata, quod intervalla temporum decrevit inter ordines minores et Subdiaconatum, relicto tantum Episcopis jure dispensandi super interstitiis, et ita docent *Majol.* de irregularit. lib. 3. cap. 24. num. 13. et lib. 4. cap. 11. n. 1.; *Diaz* ad *Salzed.* versic. „una die“, *Menoch.* de arbitrariis lib. 2. casu 564. n. 7. et seq.,

Venet. in examin. Episcoporum lib. 1. cap. 18. n. 13., *Grass.* de effectibus, Clericatus in praeludiis n. 341., *Pax Jordan.* tit. 3. lib. 6. n. 430. et seq. tom. 1. de magistris in silva ecclesiastica tom. 2. pag. 265.

14. At alii appositae adhaerent sententiae et idcirco volunt, stante consuetudine, minores ordines et Subdiaconatum licite conferri posse iisdem personis una eademque die, et hi sunt *Suarez* de censuris diput. 31. sect. 1. num. 41., *Thesaurus* de poenis Eccles. par. 2. in verbo „ordo“ cap. 15. §. „inter ordinem“, *Leander* operum moralium tom. 1. tractat. 6. disp. 11. quaest. 13., *Fagnan.* in cap. „de eodem autem“ n. 41. de temporibus ordinationum; ubi testatur de sensu hujus sacrae Congregationis, de quo pariter testatur *Gallebart.* ad cap. 13. num. 5. sess. 23. de reform. Cumque sacra haec eadem Congregatio apud *Suarez* loco mox citato sic responderit: „Qui ex consuetudine illius regionis quatuor minores ordines et Subdiaconatum eodem die susceperunt, non sunt suspensi“, hinc deducitur, suspensionem sibi locum vindicare in locis tantum, in quibus dicta consuetudo non vigeat. *Layman.* lib. 5. tract. 9. cap. 10. num. 10. et ad tit. decret. de temporibus ordinationum, late prosequuntur *Pirhing.* sect. 1. §. 10. n. 83., *Anaclet* §. 6. n. 160. et 167., *Schmalzgrueber* §. 2. n. 15., ex quo videlicet sacrae Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 11. consuetudini non derogavit, cumque cap. 13. prohibuerit duos sacros ordines una die eidem conferri, privilegiis et indultis non obstantibus, nec quidquam statuerit quoad collationem Minorum et Subdiaconatus, videtur, quod praeservare voluerit consuetudinem eisdem insimul conferendi in locis, in quibus eadem est recepta, uti ad rem ponderant *Guttier.* quaest. canon. lib. 1.

convalidata pure dal sentimento di diversi Autori citati quivi dal Ferraris. Non credendosi adunque l'Oratore autorizzato a separare interamente l'Ordinazione de' Minori da quella de' Maggiori, il che l'esimerebbe dalle pene, ed incomodi, che soffre nell'ordinare tanti individui, supplica umilmente l'Eminenze Loro Rme a permettergli di eseguire le due separate Ordinazioni nel modo sopraindicato, tanto piu che in questa Diocesi nelle Ordinazioni de' quattro Tempi mancano talora i Chierici da promuoversi a qualche Ordine o maggiore, o minore, e cosi non può dirsi in tali casi Ordinazione generale.

Che della grazia ec.

Quibus precibus fideliter de more per subscriptum Secretarium relatis in Ordinario Coetu ad Vaticanum hodierna die coadunato S. C. rescripsit: „Expositis in circumstantiis Orator servare poterit, quae praescribuntur in Rubrica Pont. Rom., nimirum: Quatuor minores Ordines dari possunt extra Missarum Solemnia diebus Dom. et Festis dupl., sed in mane tantum.“

Atque ita rescripsit. n. 5003.

Die 7. Decbr. 1844.

Claremonten.

Quum diversae opiniones circumferantur in Concilio Claremontensi circa haec verba Pontificalis Romani: *Minores Ordines possunt conferri in Dominicis et Festis duplicibus*: dum alii contendunt per Festa duplicia ea tantum intelligi, quae a populo feriantur, alii autem sustinent intelligi omnia duplicia sive a populo feriantur sive non, asserentes non distinguendum ubi lex non distinguit, ad certam in re legem stabiliendam, Sacrorum Rituum Congregationi humillimae datae sunt preces, ut suam sententiam edicere dignaretur.

Et S. eadem C. respondendum censuit: „Minores Ordines conferri possunt in Festis de praecepto vel in Festis duplicibus, quae erant de praecepto ante reductionem.“

Die 16. Martii 1833. n. 4708.

Potalegren.

(Conc. Tr. C. 8. S. 23. De ref.)

Episcopus Potalegren. in relatione status suae Ecclesiae ad Sedem Apostolicam transmissa refert, quod a tempore immemorabili Episcopi regni Lusitaniae consueverunt suis subditis conferre primam clericalem Tonsuram et Ordines minores die Veneris post prandium ante diem Sabbati quatuor temporum; cumque quaerat: an collatio primae Tonsurae et minorum hoc modo facta licite facta dici valeat? proposita fuit ejus instantia inter summaria precum et die 2. Decembris anni praeteriti dictum fuit: quod proponeretur in folio.

Quoad primam Tonsuram nulla videtur esse difficultas, quin eadem conferri possit ante diem Sabbati quatuor temporum et post prandium: in Pontificali etenim Romano titulo de Clerico faciendo sic legitur: *Clericus fieri potest etiam extra Missarum solemniam quocumque die et loco*; et ad rem prosequuntur *Fagnan.* in cap.: de eo num. 4. de tempor. Ordinat.; *Anaclet.* ad eundem titulum §. 2. num. 30.

Quoad minores Ordines Alexander PP. III. in allegato cap.: de eo de tempor. Ordinat. statuit, quod extra jejunia quatuor temporum possint Episcopi Dominicis aut aliis festis diebus unum aut duos ad minores Ordines promovere; et in Pontificali Romano tit.: „de minoribus Ordinibus“ sic legitur: *quatuor minores Ordines dari possunt extra Missarum solemniam*

diebus Dominicis et festis duplicibus, sed in mane tantum.

In quo rerum statu nemo non videt permissum de jure non esse conferre Ordines Minores die Veneris post prandium ante diem Sabbati Quatuor Temporum.

At difficultas est in consuetudine et praesertim immemorabili, uti asseritur ab Episcopo.

Admittitur a Doctoribus hujus consuetudinis validitas et subsistentia, asseruntque eam non esse reprobendam in locis, in quibus a tempore antiquo est introducta et praesertim cum dies Sabbati conseatur incipere a Vesperis feriae sextae, nec ulla adsit necessitas, quod Minores Ordines conferantur sub Missae Sacrificio vel ut Ordinans jejunos sit. *Enriquez* in Summo lib. 10. cap. 12. §. 2., *Gobat.* tract. 8. theolog. experiment. n. 452., *Layman.* in cap. de eo n. 4. de tempor. Ordinat. et lib. 5. Theolog. Moral. tract. 9. cap. 8. n. 1., *Pirringh.* ad dictum titulum Decretal. de tempor. Ordinat. sect. prima §. 9. sub n. 77., *Leander Oper.* Moral. tom 1. disput. 11. de tempor. Ordinat. quaest. 6., ubi, quod haec est praxis Hispaniarum, *Juvenim.* de Sacram. quaest. 8. de Ritibus Sacram. Ordinis cap. 2. in fine, ubi, quod haec est praxis Galliarum.

Alii praedictam referunt consuetudinem sed dicunt eam sibi non placere utpote contrariam Pontificali Romano, *Ricc.* in praxi variar. resolut. 273. n. 1., *Ventrigl.* in praxi rerum ecclesiasticarum parte prima ad not. 44. §. unico n. 7.

Fagnanus in cap. de eo n. 31. et seqq. de tempor. Ordinat. distinguit inter publicam ordinationem sive generalem et ordinationem privatam, quae fit in Capella vel in secreta Sacristia concurrente aliqua necessitate vel utilitate Ecclesiae et quoad primam Ordinationem dicit, eam esse illicitam,

si fiat die Veneris, non obstante consuetudine, et e contra licitam esse secundam ordinationem, si pro ea stet consuetudo, et deinde n. 40. concludit, quod, licet haec opinio sit vera, expediret nihilominus ut consuetudo aboleretur.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere: *An supposita consuetudine immemorabili licitum sit conferre primam tonsuram et Minores Ordines feria sexta post prandium ante diem Sabbati quatuor temporum?*

S. C. C. resp.: Affirmative quoad primam tonsuram et quoad caeteros minores Ordines consuetudinem immemorabilem tollerari posse, sed expediat, quod Episcopus se conformet Pontificali romano tit.: De minoribus Ordinibus.

Die 16. Mart. et 13. Apr. 1720.

Ad dubium: Quum in Pontificali Romano titulo de Ordinationibus habeatur „Minores Ordines possunt dari singulis Dominicis et festis diebus duplicibus“, quaeritur: an verba festis diebus duplicibus intelligenda sint pro Festis de praecepto strictim servandis?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Affirmative.“

Atque ita rescripsit die 23. Maji 1835. n. 4751 ad 4.

De Ord. Minor. cf.: *Ministrantes*; *Ostiararius*; *Rocchettum* (vestis etc.)

ORDO

incedendi in processionib.

Vd.: *Canonici* (ordo inced.); *Processio* (Clerus etc.).

OREMUS.

(Inclinatio capitis.)

Vd.: *Instructio Clem.* §. XXIV. n. 22.)

cap. 26. n. 30. et seq., *Gobat.* in theologia experimentalis tract. 8. casu 11. sess. 2. n. 460. et seq. pagina: mihi 542., *Marchin.* de sacr. ordinis tract. 1. par. 7. cap. 1. n. 6. et seq., latissime *Sanchez* consil. moral. lib. 7. cap. 1. dubit. 53. num. 5. et pluribus seq.

15. His positis, si adhaerendum est opinioni, quae vult, Episcopum jure suo et praevia tantum dispensatione super interstitiis minores ordines et Subdiaconatum eidem personae conferre posse una eademque die, inquirendum remanebit: *an adsit utilitas et necessitas Ecclesiae in hoc, quod collatis insimul praedictis ordinibus, non possint amplius ordinati resilire et ad viles artes se convertere vel potius statuta methodo ordines conferendi modo praedicto relaxetur et destruat ecclesiastica disciplina,* quae ab antiquissimo tempore intervalla temporum decrevit, ut per ea fides, morum probitas, constantia et moderatio ordinandorum deprehendatur, quemadmodum legitur in can. 10. Consilii Sardicensis; rursus, si adhaerendum est opinioni, quae licitam ex consuetudine loci admittit simultaneam collationem minorum ordinum et Subdiaconatus, examinandum erit primo: *an haec consuetudo sit introducta?* Secundo: *an fuerit introducta post Tridentinum vel ante Tridentinum viguerit?* Si etenim post Tridentinum est introducta, obstaret decretum irritans appositum in bulla 73. Pii IV. confirmatoria Concilii, et tertio demum locum sibi vindicaret etiam examen necessitatis et utilitatis Ecclesiae, uti mox dictum est. Cumque haec omnia profecto sint involuta, perpendendum proponitur EE. VV.: *an ultra disposita a sacro Concilio Tridentino sess. 23. cap. 6. de clericis conjugatis ad sartam tectam conservandam seu restaurandam ecclesiasticam disciplinam*

in regno Sardiniae et ad evellendos expositos abusus Archiepiscopo Calaritano requirenti insinuandum sit, ut in sacra ordinatione et in plectendis Clericis facinorosis se conformet dispositioni constitutionis sanctae memoriae Innocentii XIII. a SS. Domino nostro confirmatae et impressae post Synodum Romanam in appendice constit. 16. et signanter dispositis in §. 1, 2, 4 et 6, licet enim praedicta constitutio edita fuerit pro regnis Hispaniarum, ea tamen, quae signanter in locis citatis decreta sunt, sint eruta ex sacris canonibus et sacro Concilio Tridentino, et sunt in omnibus conformia juri communi, et pleraque ex eis a SS. Domino nostro in Synodum Romanam habitam anno 1725 translata sunt, uti legenti patebit.

Atque haec dicta sunt sub censura, salvo semper etc.

Dies et annus ut supra.

10) Tempus. Dies. Extra Missam.

Cf.: *Ordinatio* (tempus; dies); *Mandat. apost.*; *Ordinatio Graecor.*; *Ord. min.* (utr. una die cum Subd. etc.?)

Ad dubium: Minores Ordines post meridiem Ferae VI. ante Sabbatum Ordinum possuntne conferri, uti fit?

Et S. eadem R. C. respondendum censuit, ut infra sequitur, videlicet: „*Servandam esse resolutionem S. C. Concilii, quae sub die 13. Apr. 1720 in Potalegren. simili dubio respondit: Affirmative quoad primam Tonsuram, et quoad caeteros minores Ordines consuetudinem immemorabilem tolerari posse; sed expedire, ut Episcopus se conformet Pontificali Romano titulo de minoribus Ordinibus.*“

Atque ita statuit et decrevit die 11. Martii 1720. N. 4565 ad 11.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Quidquid sit de jure antiquo quoad statuta tempora pro conferendis mino-

ribus Ordinibus certam modo regulam tradit Pontificale Romanum, ubi in titulo de Ordinibus conferendis sic legitur: *Tempora Ordinationum sunt: Sabbata in omnibus quatuor temporibus, Sabbatum ante Dominicam de Passione et Sabbatum Sanctum. Clericatus seu prima Tonsura quocumque die, hora et loco conferri potest. Minores vero Ordines possunt dari singulis Dominicis et festivis diebus duplicibus ubicumque et mane tantum.* Elsi vero haec sit tenenda regula, at tamen in Ordinationibus generalibus variis in Ecclesiis consuetudo invaluit conferendi minores Ordines non in Sabbato, sed in Fera VI. immediate ante postmeridiem; quae consuetudo, ut ait *Layman ad cap.: De eo 3. de temporibus Ordinationum*, reprobare non potest. Et revera plures sunt Scriptores, qui testantur morem conferendi minores Ordines vesperae Ferae VI. quatuor temporum. Ita *Gobat. tom. 1. tract. num. 52.*, *Escobar in Theologia Morali lib. 32. cap. 18. num. 230.*, *Rossignoli de Ordinibus ecclesiast. art. 1. quaest. 2. part. 7. num. 4.*, *Henriquez in Summa lib. 10. cap. 12. num. 2.*, *Reifenstuel lib. 1. decret. tit. 1. num. 31.*, bene plurimos alios brevitate ergo praetermittimus. Imo morem hunc ubique fere receptum testatur *Fagnanus in tit. cap.: De eo, num. 14.*; ipse tamen in sensu est, quod hujusmodi consuetudo, utpote abusiva, prorsus sit abroganda. Id, ut fieri possit, et optandum et curandum est. Sed quoniam consuetudines, quae profundas fixere radices, difficillime eradicari possunt, ideo Apostolica Sedes, dum jubet, ut curae omnes ad eas tollendas adhibeantur, nihilominus, ubi difficile est eas abrumpere, tolerandas esse permisit.

Ita in simili quaestione respondit S. C. Concilii. Siquidem rogata ab

Episcopo Potalegren.: *An supposita consuetudine immemorabili licitum sit conferre primam Tonsuram et minores Ordines Fera VI. post prandium ante diem Sabbati quatuor temporum in casu etc.?* sub die 13. Apr. 1720 hoc dedit responsum: *Affirmative quoad primam Tonsuram et quoad caeteros minores Ordines consuetudinem immemorabilem tolerari posse, sed expedire, ut Episcopus se conformet Pontificali Romano de minoribus Ordinibus.* Ubi notandum est, quod non alia consuetudo toleranda sit, quam quae revera immemorabilis, sed etiam, si talis sit, mentem tamen S. C. esse, ut corrigatur ita, ut in posterum ordo praescriptus a Pontificali Romano omnino servetur.

Senen.

Rmus Senen. Archiepiscopus quum S. R. C. sequentem supplicem Libellum dederit, nimirum:

Emi et Rmi Signori.

Giuseppe Arcivescovo di Siena reverentemente espone all' Eminenze Loro, ch' egli trovandosi nell' avanzata età di anni 68 e soffrendo vari incomodi, che gli rendono notabilmente gravosa l'Ordinazione generale de' Chierici Maggiori e Minori insieme, bramerebbe poter ordinare separatamente i Maggiori ne' giorni stabiliti a tale oggetto dalla Chiesa, e tutti i Minori nelle Domeniche anteriori, o posteriori a tali giorni. Che avendo riscontrato la Bibliotheca del Ferraris alla parola *Ordo, Ordinare*: all' Articolo 2. v. 2. trovò potersi dai Ves-covi promuovere agli Ordini minori alcuni Chierici soltanto, ma non in tal numero, che sembrasse farsi un' Ordinazione generale, e ciò determinarsi nel Corpo del Gius Caninico cap.: *de eo 3. de temporibus Ordinationum*: qual sentenza Canonica è